



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Sectio I. De iis quæ spectant ad absolvendum à reservatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

DISPUTATIO NONAGESIMA QUINTA.

De Reservatione Casuum.

SECTIO PRIMA.

De iis quæ spectant ad absolvendum à Reservatis.

I. *Possit casus aliquis, etiam quoad culpam reservari, est indubitan- tum.*



OSSE peccata aliqua, non solum quoad censuram annexam, sed etiam quoad culpam reservari, etiam purè interna (licet hæc nunquam reservari soleant) est certum, & definit Concilium Tridentinum sessione decima-quartâ, capite septimo, esse in Ecclesiâ potestatem peccata retinendi, & casus reservandi. Ratio autem quâ hoc explicatur est; cum enim, ut suprâ diximus, omnis iurisdicção à Summo Pontifice in alios derivetur, potest is illam cum ea limitatione & restrictione communicare, quâ ipsi visum fuerit, quod etiam aliis Prælati tam sæcularibus quàm regularibus suo modo competit. Qui autem casus in particulari reservati sint aut esse possint, declarat fuse Suarez disput. vigesima-nonâ, sect. tertîâ, tam pro sæcularibus, quàm religiosis. Alia tamen quàm quæ ibi à Suarîo recensentur, reservari possent nisi jus obstaret.

II. *Peccat superior, si sine iustâ causâ casus in damnatis subditorum reservat.*

Circa hanc casuum reservationem in primis notandum, quamvis peccet superior, si in damnatum subditorum abutatur hac potestate, & sine iustâ causâ casus aliquos reservet, unde Concilium Tridentinum sessione decima-quartâ, cap. septimo ait, licere iis uti hac potestate in ædificationem non in destructionem, reservatio tamen tenet, & est valida, quod secundum præcipuè de Summo Pontifice dicendum videtur; cum enim omnis iurisdicção ab ipso dependeat, & inferioribus communicetur, ita censetur semper communicari, ut non transeat in dominium absolutum illius cui confertur, ita ut privari eâ non possit, sed est jus quoddam inferius pendens semper à superiore, à quo proinde & privari eo potest sine injuriâ.

III. *In quo referriatur ordinaria potestas absolvendi à reservatis.*

Quoad potestatem seu iurisdicçãoem ordinariam absolvendi à reservatis, certum est in eo residere, qui peccata illa reservat, & præterea in illo, qui ipsi in hoc foro est iurisdicçãoe superior, ut est Summus Pontifex respectu cuiusvis Episcopi, & in religionibus Generalis respectu provincialis. Unde & potest uterque Prælati alteri potestatem delegatam ab his peccatis absolvendi concedere: imo is qui reservanti est superior potest sine consensu illius iurisdicçãoem alteri delegare ut à peccatis illis absolvat: sicut enim immediatè per se potest sine inferioris Prælati

R. P. Comptoni Theol. Schol. Tom. II.

consensu illa remittere, ita & alium suo loco substituere.

Quando autem casus est reservatus, licet ut plurimum modus quo tollitur reservatio sit, ut Prælati illud in confessione aperiat, & Sacramentalem absolutionem accipiat, si tamen adeat superiorem, & casum ei extra confessionem detegat, pœnitentiamque accipiat, tollitur reservatio, sicque Confessario ordinario poterit illud confiteri, cum ad finem reservationis sufficiat, quod manifestetur integrè delictum superiori, & pœnitentia pro eo injungatur. Unde ulterius infero cum communi sententia, si quis confiteretur peccatum illud superiori, sed tamen defectu doloris, aut aliâ de causâ Sacramentum fuit irritum, adhuc tolli reservationem; hæc enim confessio æquivalet saltem manifestationi ejusdem extra confessionem.

Si autem quis habens peccatum reservatum confiteatur Prælati communia peccata oblitus reservati, licet aliqui dicant tolli tunc peccatum reservatum, probabilius tamen videtur contrarium, nisi eâ intentione tunc confiteatur & absolvatur, ut omnes etiam occultæ reservationes tollantur, si autem Prælati expressè hoc non intendat, non censetur habere hanc mentem, nec obligationem remittere. Videatur Suarez disp. trigesima-primâ, sect. quartâ, num. duodecimo, & Coninck disp. octavâ, dub. 12.

Dices: Si quis implicatus casibus Papæ reservatis, bonâ fide confiteatur Pontifici, aut ejus delegato, tolluntur in eo casu omnes excommunicationes, etiam quarum pœnitens est oblitus, cum præmittatur semper: *Absolve te ab omni vinculo excommunicationis in quantum possum & indiges*; ergo & tollitur reservatio culpæ, cum juxta communem sententiam Theologorum culpa in casibus Papæ reservatis non reservetur nisi ratione censuræ.

Pater Vasquez hæc, quæst. nonagesimâ primâ, art. tertio, dub. quinto ait, in eo casu tolli censuram, peccatum autem adhuc manere reservatum: dictum verò illud Theologorum ait intelligendum esse per se loquendo, per accidens tamen, inquit, manere potest culpa Papæ reservata, ablata censurâ.

Suarez disp. 31. sect. 4. num. decimo nono ait, in hoc casu tolli quidem excommunicationem, non simpliciter, sed solum ad illum effectum obtinendi absolutionem Sacramentalem à peccatis, quæ tunc confitetur: quare hoc obtento dicit priorem excommunicationem redire, & ob hoc, inquit, præmittit in quantum possum & indiges, nempe ad effectum absolutionis, ad hunc autem

IV. *Reservatio casus alicuius potest à superiore, vel in confessione, vel extra eam tolli.*

V. *Quid si quis peccata communia Prælati confiteatur, oblitus reservati.*

VI. *Objic. Si quis Pontifici confiteatur bonâ fide casus illi reservados, tolluntur omnes excommunicationes.*

VII. *Primus dicendi modus est, tolli in hoc casu censuram, manere culpam.*

VIII. *Secundus in hoc casu procedendi modus ait, non tolli excommunicationem, nem simpliciter, sed solum*

Idem ad absolutionem à peccatis,

non alio modo indiget absolutione ab excommunicatione, quam ut tollatur statim reditura. Licet autem primò poni nequeat fortè excommunicatio, nisi dependentèr à culpà, redire tamen potest sine novà culpà, ut dici solet in materià de censuris. Addunt aliqui, etiam non ablatà censurà posse hominem illum absolvi: sed de his plura postea.

IX. Quid si quis tempore Jubilæi confessus alia peccata, oblitus sit peccatis reservatis.

Si autem contingat aliquem virtute privilegii in favorem pœnitentis concessi, Jubilæi exempli gratià, absolvi & consequi indulgentiam, qui tamen in confessione oblitus est peccati reservati, hic postea confiteri illud poterit cuivis Sacerdoti jurisdictionem ordinariam habenti; tollitur enim reservatio, superior namque concedens illam facultatem in gratiam pœnitentis, censetur velle reservationem auferre, si privilegio illo intra statutum tempus utatur. Quod docent multi, & probabile putat Suarez citatus num. vigesimo quarto, et si is qui tempore Jubilæi est confessus, animo faciendi reliqua, quæ ad Jubilæum lucrandum sunt necessaria, postea tamen illa non impleat. Contrarium tamen, ut ait idem numero vigesimo tertio, est valdè probabile, & maximè tutum.

SECTIO SECUNDA.

Alia quædam circa absolutionem à Casibus Reservatis.

I. Possit in casu aliquo necessitatis inferior Sacerdos absolvere à casu reservato.

QUÆRES: Utrùm in casu aliquo necessitatis (non extremæ, nempe in articulo mortis; tunc enim non est dubium) ut si implere debeat præceptum annuæ confessionis, aut communicare, vel sacrum facere, quod sine scandalo, aut infamia omittere non potest, utrùm inquam in his casibus possit inferior Sacerdos absolvere eum qui habet casum aliquem reservatum, si tunc nec per se, nec per Confessarium adire possit Prælatum.

II. Dicunt quidam, inferiorem Sacerdotem in hoc casu absolvere hominem illum non posse.

Richardus, Durandus, & alii nonnulli negant: quod etiam docet Cano, Soto, & Ledesma, si non sit peccato adjuncta censura, seu excommunicatio. Utraque etiam sententia docet talem hominem posse in illo casu accedere ad communionem sine confessione, si sine scandalo aut gravi infamiâ illam omittere non potest. Communis tamen sententia est, in eo casu inferiorem Sacerdotem posse pœnitentem illum absolvere: quod etiam dicendum quando adest quidem Prælatus,

sed sine gravi incommodo confiteri quis illi peccatum hoc non potest; tunc enim perinde est, ac si abesset, ut supra diximus de ratione excusationis à confessione peccati: sola autem verecundia aut jactura existimationis non est sufficiens causa cur non aseat Prælatus.

In hoc itaque casu accedens pœnitens ad inferiorem Sacerdotem, debet non solum peccata communia, sed etiam reservata eidem confiteri, & integram omnium confessionem instituire esto directè, solum absolvatur à non reservatis indirectè à aliis. Primum ostenditur, quia ut absolvatur ab omnibus debet esse circa omnia benè dispositus, & de hac dispositione jus habet Confessarius, ut judicet, & consequenter peccata debet cognoscere. Quod verò tunc absolvatur ab omnibus patet, quia si oblitus fuisset peccati reservati obtinisset illius remissionem indirectè, ergo & si illud subjiciat clavibus.

Nec obstat quod Concilium Tridentinum sessione decimâ quartâ, capite septimo, sine dicat nihil extra articulum mortis posse inferiores Sacerdotes in casibus reservatis, quare monet ut persuadeant pœnitentibus, ut ad superiores & legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant. hoc inquam non obstat; primò enim certum est, posse inferiorem Sacerdotem indirectè à reservatis absolvere, si pœnitens illorum fuisset oblitus. Solum ergo vult Concilium, nihil posse inferiorem in reservatis solis, seu directè, at verò aliquid potest in pœnitentem ratione aliorum peccatorum, ratione quorum est illi pœnitens subditus simpliciter, ratione autem reservatorum est hic exemptus solum secundum quid.

Dices: Ergo si quis habens venialia & mortalia confiteatur hæc simul cum illis cuivis Sacerdoti, etiam non approbato absolvetur à mortalibus indirectè. Suarez disputatione trigesima primâ, sectione tertiâ, numero nono ait, nec se magnum inconveniens cernere si concedatur, nec claram disparitatem, ob quam negetur, pœnitens bonâ fide accedat. Addit tamen, probabiliter dici posse Ecclesiam non concedere in ullo casu præter articulum mortis potestatem omnibus Sacerdotibus absolvendi à mortalibus, etiam indirectè. At verò in casu nostro supponimus hunc Sacerdotem habere jurisdictionem ad absolvendum à peccatis mortalibus, cum ergo præcipuum possit, & reservatio solum sit quid accessorium, non est tanta discrepantiâ inter mortalia reservata & non reservata, atque inter venialia & mortalia.

III. In hoc casu debet pœnitens peccata etiam reservata inferiori Sacerdoti confiteri.

IV. Obije. Concilium Tridentinum dicit, nihil posse inferiores Sacerdotes in casibus reservatis extra mortis articulum.

V. Obije. Ergo si quis simul cum venialibus confiteatur mortalia, possit ab his a quoque Sacerdote absolvi.

